


4.







27. 3.


CELEBRIS CONSESSVS  
EXIMIAE WANDALORVM PROVINCIÆ  
REGIJ ORDINIS  
BEATISSIMÆ VIRGINIS

MARIAE DE  
MERCEDE,

REDEMPTIONIS CAPTIVORVM,  
INDICTVS PRO COMITIJS EIVSDEM  
PERAGENDIS SVB PARADISEI FONTIS  
SPECIE ADVMBRATVS,  
ET EXPRESSVS.

QVI IN HISPALENSI PRÆDICTI  
INSTITVTI REGALI COENOBIO  
FREQUENTANDVS EST A QVINTA AD  
OCTAVAM VSQVE DIEM MENSIS MAIJ  
ANNI DOMINI MDCCXXVI.

HISPALI EX TYROGRAPHIA  
FRANCISCI SANCHEZ RECIENTE,  
LATINI IDIOMATIS TYPOGRAPHI CONSCHJ,  
IN VICO DE LA SIERPE.




# POETICVM

## BOETICÆ MERCEDARIÆ EPARCHIÆ ENCOMIVM, ET FESTIVVM COMITIORVM PRÆLVDIVM.

**I**nclita Nolasci Soboles, quam nomine Bœtis  
Ipse suo decorat, crispatisque alluit vndis;  
Æmula Divini ( si fas sit dicere ) amoris,  
Illius, in mortem cupiit quo tradere se se  
Christus, ut è vinculis, stygij quos ira Tyranni  
Vinxerat, eriperet, patrioque referret Olympo.  
Salve, Dia Patens, numerofo milite cincta,  
Quem iuvat incertumque viâ, certûque cruentæ  
Morris, inaccessas Maurorum appellere terras,  
Et pro Captivis nummos, vitamque pacisci.  
Tu tantis secunda vitis, super ætherea sacrum  
Tolle caput, lauroque comas viridante corona:  
Tempus enim properat, seu lux iam clara propinquat,  
In tua prudentes qua accersas commoda Patres,  
Dispersos hinc inde prius per regna, per vrbes;  
Commissum ut manibus moderamen quisque remittat,  
Quod rectis gessit stabilito tempore habenis,  
Incumbatque alijs humeris, quos videris aptos.  
Hoc dedit imperium rebus natura caducis,  
Scilicet: ut veteres assumat nulla deinceps,  
Quas semel exuerit, disrupto scedere sortes.  
Incipit in trunco, nec trunco deficit arbor,  
In ramos graditur, crescitque in floribus, atque  
Desinit, ipsa suos cum fructus reddat opimos:

4.

Aitamen in fructu semen concludit, vt arbor  
Nata recens partes alterno munere solvat.  
Nascitur, & Matri sine voce infantulus hæret,  
Postea fit vernans iuuenis, vir postea fortis,  
Inde senex, nec ibi remanens sed protinus orbis  
Linqvit regna cadens, alijs tradenda colonis.  
Labimur instar aquæ, qua non præstantius vllum  
Obviat exemplar tentanti plurima menti,  
Actus vt Synodi calamus depingat agenda.  
Eia age, iucundus Paradisi flumina specta,  
Aspiceque in rapidis celeberrima festa fluentis.



MA.

4.

MARIANI BOETICI CAPITULI IN PA.<sup>5.</sup>

radisi fonte vivida species.



Curum me de proposita Synodo, eamque aliquibus, ut moris est, coloribus, pigmentis, symbolis ornaturum, non modicè ardua illius conditione premebat, & ad angorem usque lassabat. Voluebam mentem, qua specie, qua ve umbra, quæ Confessum circumstant, promerem; eo tamen timore, nè non individuam rei claritatem species gigneret, aut obscuritatem umbra parturiret. Negotium omne fisci videbatur in varietate illa, qua qui præerant, obtemperaturi veniunt, quique obedierant, præcepturi abeunt. Quæ autem figura hanc rerum inconstantiam dabit expressius, quodve speculum repererit claritius, quàm quæ omnia varietate vincit, inconstantia superat, & mobilitate antecellit? Aqua nempe, de qua ad rem aiebat Sidronius Hoesebius S. I. (1.)

*Et fluit, & refluit, rapiturque, & volvitur æstu,  
Et stabile in sola mobilitate manet.*

*Littora nunc repetit, nunc littora deserit unda,  
Occurritque sibi, sequæ reversa fugit.*

Hac de causa aquam huius varietatis indicem elegi. Sed nedum inconstantiam, mobilitatemque audires, minùs  
piam

(1.)  
Curs. vit.  
hum.  
eleg. 1.

piam de illa sententiam pronuntiaret, non quilibet, sed Paradiseam aquam in scopum direxi, vt innocuam, & quasi Caelestem demonstrarem digito mobilitatem. Illam ergo, quam Moyſes ita descripsit: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* (2.)

(2.)  
Gen. 2.

Attamen, vt distinctius appareat, quod intendimus, operæpretium me facturum duxi, si notarem & annem, qui fluebat, & locum, vnde manabat.

*Egrediebatur de loco voluptatis, è Paradiso scilicet. Nonne Paradisus erunt Sacrae, Religiosæque Familiae, in quibus, tanquam in peramoeno viridario, candidus puritatis flosculus, crocea charitatis rosa, accepta obedientiae germina, floreaque cœterarum virtutum ornamenta gratam Ecclesiae visui, & odorati varietatem figurant? Audi dicentem Damianum: (3.) Verè claustrum est Paradisus: hic prata virentia scripturarum, præterfluens lacrymarum undositas, hic sunt arbores erectissima chori Sanctorum, nulla est, qua non multa fructus gaudeat ubertate.*

(3.)  
Serm. 5. de  
S. Nicol.

Imò & Isaïas hoc videretur prophetasse, dum ita Sionem solabatur: *Consolabitur Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius, & ponet desertum eius, quasi de-*



*delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini.* (4.) Vbi vertere Septuaginta, *sicut Paradisum.* Satis enim ingeniosè, vt affolet, Flores pro Sione Ecclesiam dicit, quam Sacris Religiosorum Familijs consolatam animadvertit, quæ quasi per iucundæ deliciæ, & gratissimus Paradisus censendæ sunt, dum desertas Evangelicæ paupertatis vias in delicias libenter coegerunt abire, & solitudinem à mundi contemptu exortam in Domini hortum immutari. Ecce Paradisum Sacras Religiones adumbrantem.

(4.)  
Isai. cap.  
51.

Sed ad nostram potiùs Familiam stringamus sermonem ipso Isaïæ ore. De illa agitur Sione, de qua exinde sic loquitur:

(5.) *Posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati. Et nunc qui redempti sunt à Domino, revertentur, & venient in Sion laudantes.* Sion sanè nostra Redemptrix Religio, quæ in maris profundo viam multis, & illis quidè impendentibus proprii commodi, æris, suorumque vitæ discriminibus, invenit, quâ qui prece, pretio, & sanguine saepe liberati sunt è Barbarorum ergastulis, & oppressione in exoptatam corporis, & animi libertatem transeant, ipsamque laudantes, & pro acceptis grates exhibentes adveniant: vnde fiet, vaticinium de metamorphosi Sionis in Paradisum

(5.)  
v. 10. II.

esse

esse aptum pro nostra Religione signanda inventum.

(6.)  
Cant. 4.

Vel expende illud Canticorum: (6.) *emissiones tuas Paradisus*, quod de B. V.

(7.)  
In offic.  
Assumpt.

MARIA intelligit Ecclesia. (7.) Ita hemistichium exposuit Maluenda: *Propagines, quas emittis, planta, viridaria*. En modo si Paradisi nomine, & munere insigniri debent propagines illæ, & viridaria, quæ à Sacratissima Deigenitrice emittuntur, qualis erit Paradisus Propago nostra, quæ eius manibus in Ecclesia

(8.)  
De Parad.  
cap. 3.

feracibus agris plantata est, ipsiusque irrigatione perfectionis incrementum fecit, ut Ecclesia canit: (9.) *Respice de Cælo, & vide, & visita vineam istam, & perfice eam, quam plantavit dextera tua.*

(9.)  
In offic.  
Virg. de  
Merc.

Adhuc autem delicatiori penicillo ad Boeticam hanc Mercedariam Provinciam effingere Paradisum intendo. Vbi scitos vos velim, antiquos Gentiles vates plurima somniasse figmenta, veritatibus Sacræ Paginæ simillima, ut quemadmodum fisiones suæ, seriæ, & Divina haberentur fabulosa. (10.) Sic ad instar diluvij, Noëmi temporibus facti in

(10.)  
Pererius  
in Gen. 2.

Deucalionis inundatione delirarunt. Nec Paradiso designando defuit sua fictio: effinxere siquidem in Elysijs campis omnem illam amœnitatem, & aquarum pulchritudinem, quam de Paradiso certe

novi.

novimus. Nunc tamen ad rem venio:  
 Locus hic Elysijs agri apud Boeticam est,  
 teste P. Pineda per hæc verba: *Iuxta Xe-  
 rizium opponitur campus Elysius instar  
 Paradisi Domini, quem alluit Lethæus,* (12.)  
*vulgo Guadalete.* Et Homerus huic  
 asserto robur præstitit illis carminibus  
 de Boetica extrema tūc orbis parte: (13.)

(12.)  
 De rub.

Sal. lib. 4.

cap. 14.

(13.)  
 Homer.

*Sed te, quæ terræ postremus terminus extat,*

*Elysiū in campum calesbia numina ducent.*

Age iam: nullus ergo alius in toto ter-  
 rarum orbe tractus est Paradiso similior,  
 quàm Boetica, quam Elysiū volupta-  
 tis agrum, si adesset, vates effinxissent.



De Paradiso igitur, nostræ Provinciæ  
 specie, dimanabat fluvius, non quidem  
 in varia dispersus, sed indivisus: nam so-  
 lūm divisionem patiebatur ē Paradiso  
 egressus, *inde dividitur in quatuor capi-  
 ta:* vnde non separatus, sed congregatus  
 erat, qualiter Capitulum nostrū designa-  
 re apertius, in quo Religionis Supremus  
 Præsul, quemadmodum David canebat,  
*spiritu oris eius congregans sicut in vtre  
 aquas,* (14.) omnia videlicet inferiorum  
 Præfectorum flumina vocat, ut spiritu  
 Dei afflante, viros eligant, qui inde  
 dividantur ad totius Provinciæ, Cœno-  
 biorumque agros sua directione irrigan-  
 dos. Et nè minus aptè demonstrarem, ob-  
 servandum offero non in quatuor flumi-

(14.)  
 Psalm. 32.

10.

na fontem dividi, sed in quatuor capita:  
quatuor enim Caputum, seu Præsolium  
genera in nostris Comitibus eliguntur: Pro-  
vincialis, Commendatores, Rector, Præ-  
sides. Videsis symbolum omni perspi-  
cuitate rutilum. Sed accipe in carmine  
brevius.

Irrigat undoso Paradisum murmure flumen,  
Quod quadripartitum dividit inde caput.  
Nolasci Soboles Paradisus, nostra fluentum,  
Bœtica; sed quatuor flumina sunt capita.



14.

# PHISON

PRIMUM PARADISEI FLUVII CAPUT,  
DESCENSIONEM MARIANAM  
PRO MERCEDARIJ INSTITVTI  
REVELATIONE DESIGNANS.

Annis adest Phison, quem nominat India Gangem,  
Primus, sub cuius nomine prima dies.  
Te coler hæc, Virgo, Cælis quæ illaberis altis,  
Erectura tuo pulchra vireta solo.  
Te dabit hic fluvius prædivite murmure, & ingens  
Libertatis opus, vinclaque fracta feret.

**C**VI primas semper medullitus in  
omnibus damus, primo die cele-  
branda est Descensio Beatissimæ Virgi-  
nis MARIE pro nostræ, imò suæ, Religio-  
nis fundatione sub illius fluminis typo,  
quod præfixus textus ita describit: (15.)

(15.)  
Gen. 2.

*Nomen uni Phison: ipse est, qui circuit om-  
nem terrâ Hevilath, ubi nascitur aurum,  
& aurum terra illius optimum est. Meri-  
tò quidem neque enim incongruus asse-  
res, Virginem de Cælo in terras se se li-  
bentissimè, & misericorditer demitten-  
tem, Paradisei fluminis partes agere, ni  
inficiendam putes, quam in eius persona  
Ecclesiasticus profert, sententiam: Ego  
sicut aqueductus exiit de Paradiso. (16.)*

(16.)  
Eccli. 24  
vers. 41.

Exiit sanè: at non quovis modo exiit:  
non sursum exilivit, non dextrorsum cu-  
currit, quin potius deorsum fluens, & di-

12.

(17.) *labens*, vt Syrac. legit, (17.) *ameenas* se-  
des linquit, aridas adit, & ipsum Paradi-  
sum, à Cœlitibus frequentatum, egressa,  
ad vsque terræ limites properavit: nam  
altius. (iuxta P. Flores) *reperenda est Ma-*  
*riani fluminis origo; à Cœlesti nempe Para-*  
*diso.* (18.) Quorsum autem limpidissi-  
mas perennis scaturiginis lymphas dire-  
xisset, nisi in suam ditionem, in suum  
gratum domiciliū, in suum denique, suo-  
rumque filiorum pomarium, proprijs  
manibus conferendum, nec alienis hu-  
mectandum? *Rigabo*, inquit, *hortum meum*  
*plantationum.* (19.) Barchinonem cre-  
das, vt bembillam Cathalauniæ totius fa-  
cile principem, in qua nostri candidati  
agminis Primipilo D. PETRO NOLASCO  
Mercedarium Institutum revelavit, con-  
didit, stabilivit: vt inde per totum terra-  
rum orbem odorem afflaret.

Apud Bib.  
max.

(18.)  
Hic part.  
5. sect. 8.

(19.)  
Hic v. 42

(20.)  
Lib. 2. in-  
cad. 9.

Nec parvi pendendæ sunt, quas maxi-  
mi æstimandas divitias asportat Phisonis  
aqua, hoc etiam insignis, vt eiusdem dis-  
pendijs regio adiacens fiat ædum ferri-  
lis, verum etiam prædives, vt cecinit D.  
Alcimus Avitus. (20.)

: : : : *Trabens magnus sic ditia Ganges,*  
*Hoc etiam donat Mundo, quod proijcit alveo.*

Quas inter opes ingentem obryzi auri  
copiam, è quibus nescio fodinis excep-  
tam, evchit, qua littorales eius incolas

locupletat: audias Tertulianum. (21.)

(21.)

*Phison auriferis praedives fluctuat undis.*

Gen. c. 2.

Tanta ergo auri gaza, si consulatur Lau-

retus, auro exprimens charitatē, (2.2.)

(22.)

expromet haud ineptē, quā copia, quā

Sylv. aleg.

vbertate, quā demum affluentia Virgi-

v. Aurum.

neus Ganges in Mercedarias propagi-

nes nimiam charitatem fuderit, maio-

remque dilectionem asperferit: *Maiorem*

*hac dilectionem nemo habet, quam ut ani-*

*mā suam ponat quis pro amicis suis.* (23.)

(23.)

Abfonsam tamen velit intra proprios

In offic.

lares, quas vberim dedit, misericordiae

Div. Petr.

divitias? Absit. *Penetrabo, procedit Si-*

Nolasc.

*racides, omnes inferiores partes terra,*

(24.) *infernās Mauricæ tyrannidis spe-*

(24.)

*cus, cavernas, ergastula. Circuit omnem*

Ibid. v. 45.

*terram Hevilath, quæ interpretatur do-*

*lens, (25.) Africam dices, insensibiliter*

(25.)

*de captivorum eorum dolentem: quem*

Bib. max.

*enim Barbarorum pectora saxi duriora*

tomo 18.

*aspernantur elicere, lapides non abnuent*

interp. no-

*dolorem exhibere. Ad ha s nimirum af-*

min.

*flictiones per nostram Religionem sub-*

*levandas descendit Beatissima Virgo*

*MARIA, pro cuius laudibus encomiastem*

*aget P. Præsent. Frat. FRANCISCVS*

*FERNANDEZ CARAVACA,*

*Provinciae Diffinitor.*

Diffinitor adest: finem pertinet, & akam  
Eloquij metam lingua tenebit ovans.

LO.

LOCVPLETI PHISONI,  
CVIVS NEMO NOVIT ORIGINEM;  
CVIVS ALVEVM AVGENT FLVMINA MILLE;  
CVIVS AQUIS FORTITUDO LABITUR,  
FERTILITAS ASSEQVITVR, SALV-  
BRITAS COMPARATVR:

CVIVS LITTORA INCOLVNT PLV-  
RIMI, NEC SOLA AMOENITATE SOLI  
TRACTI, SED ET AQVARVM COM-  
MODO INVITATI ET ALLECTI.

B<sup>ME</sup> V<sup>NI</sup> MARIAE  
DE MERCEDE

IN PERANTIQVO VENERANDAE  
MAIESTA TIS SIMVLACRO,

AB IPSA HISPALIS EXPVGNATIO-  
NE CVLTO, QVOD ETSI B. FERDI-  
NANDI III. DONO P. N. D. PETRO NO-  
LASCÓ OBVENERIT, ORIGINIS OCCVLVIT INI-  
TIA, AT NON BENEFICIA: IMO GRATIA-  
RVN MYRIADES COLLATARVM NEDVM COGNOMEN  
PROBARINT, SED ET MAGNE MATRIS MVNE-  
RA EXHIBERE ASSERVERINT AGRIS, AFFLIC-  
TIS, DESPERATIS, PECCATORIBVS, OMNI-  
MODISQVE EGENTIBVS ASSIDVO TESTIMONIO  
asseverantibus, in eiusdem fluminis  
beneficis lymphis vniuersalis  
indolis medicamen  
latere.



## CVI WANDALICA

MARIANORVM EPARCHIA THEO-  
 LOGICA ASSERTA ex r. p. D. THOMÆ  
 EXCERPTA D. O. S. APPENDENS,  
 INFINITIS PENE LINEIS MA-  
 RIAM RESONANS.

## POEMA ACHROSTICUM.

Maxima	Mercedis	Water,	Nodulamine	Nitro
Arte aliqua	incipites	Ambages:	Accipe.	Alumni
Restituunt	Rivos:	Rectorem	Reddere	Rebus.
Insuper	Insistant	Insignem:	Iugiter	Ipsi
Vuxilio	Vdscribet	Vceptum	Vrdoribus	Vmplis.

## PHISONIS

THEOLOGICA EXPOSITIO  
pro 1. part. Summ. D. Thom.

Phisonis rapidos fluctus perpende: videbis,  
Quæ Divus Thomas parte priore docet.



**D**um Theologicè Phisonis  
aquis de sapientia facta  
exponere intenderem,  
sursum coacto impulsu  
ascensuras crediderim,  
nil hoc me Ecclesiasticus

(26.)  
Eccli. 24. doceret: *Implet quasi Phison sapientiam.*  
v. 35. (26.) Huic loco commentum parans,

(27.)  
Hic. p. 5. doctissimus Flores asseverat, *Sermonem*  
*hic esse omnino literarium:* (27.) qua-  
propter literarum certamen proponam,  
Phisonis exuberantibus vndis institutum.  
At videamus, quid vndis asportet, ut in-  
veniamus, quid interroget.

(28.)  
Gen. 2. *Ibi invenitur aurum,* ut affirmat Sacer  
Historiographus, (28.) quod, qua fas  
est, Divinam exprimere naturam censuit  
Lauretus per verba illa, *aurum significare*  
*potest naturam Divinam, que diffusa vs-*  
*quequaque tota, & per totum protensa est.*

(29.)  
Verb. Au-  
rum. (29.) Hac de causa Christi caput auro  
ita coarquivit Sponsa, *caput eius aurum*  
*opti.*

*optimum:* (30.) cū enim iuxta D. Paulum *caput Christi Deus* (31.) sit, auro comparari debuit, in quo Divinitas refulsit. Vnde non ineptè locum dabit illis disputationibus, quæ de Deo, Divina natura, & attributis instituuntur.

(30.)  
Cant. 5.  
(31.)  
1. Cor. 11.

Nedum aurum, sed & bdellium portat Phison: *ibi*, enim textus ait, *invenitur bdellium*; sed legerunt alij apud Maluendam *invenitur smaragdus*, (32.) qui sui coloris viriditate omnium scientiam, etiam eorum, quæ nondum sunt, & existunt, sed exitura sunt, eorumque providentiam potis erit exprimere, maxime affirmante Laureto, quod *Smaragdus coloris viridis providentiam designare potest, quæ ad futura extenditur*. Vnde hic de Providentia specialissima loquar, scilicet Prædestinatione, quæ media disponit, quibus certissimè liberantur electi.

(32.)  
De Parad.  
cap. 43.

Septuaginta pro *bdellio* vertere *chrystatallum*, (33.) quæ Trinitatem adumbrabit, si Davidem auscultes sic loquentem: *Mittit chrystatallum suam sicut buccellas:: emittet verbum suum, & liquefaciet ea, stabit spiritus eius, & fluent aqua:* (34.) ubi animadvertit Lærinus, quod *D. Athanasius* videtur hoc loco pro *Deitate trium Personarum*. (35.) attamen clariorem expositionem subtiliter paravit Hispal. Antistes D. Isidorus: *Ecce tria: Pater, qui*

(33.)  
Sept. hic.

(34.)  
Psalm.

147.

(35.)

Lor. hic.


C

mittit;

(36.)  
De nativ. Dñi. c. i. mittit; Verbum, quod mittitur; & Spiritus eius, qui stat. (36.) Modo rogem: erit nè incongruam chryſtallum, vt ſub illius vmbra de Trinitate Perſonarum differamus? Minimè, dices.

Ultra in Phifonem aſpice: nam ibi *invenitur lapis onychinus*, qui authore D. Hilario, *unum ordinem Angelorum ſignificare poteſt*: quapropter de Angelorum natura, loco, & cognitione hoc in loco diſquicemus.

Diſputat Angelici Summæ pars prima Magiſtri Hæc, & aquis Phifon diſcerit, iſta ſuis.



## AVRVM.

**H**Æc propositio *Deus est secundum se, & absolute est per se nota, non tamen quoad nos. Demonstrari potest à posteriori etiam à viatoribus lumine nativo videntibus, sed à priori nè à Beatis quidem. Inveniri nequit ignorantia invincibilis Dei in adultis etiam per breve tempus. Physicum naturæ Divinæ constitutum omnium perfectionum illius collectionem amplectitur; metaphysicum verò in intelligere radicali sistit. Dei attributa sola distinctione virtuali, & rationis ratiocinatae inclusiva seceruntur invicem, & à natura. Simplicitati Divinæ repugnat compositio ex genere, & differentia. Deus ita summè perfectus est, ut omnium rerum perfectiones contineat. Est intimè in omnibus rebus per potentiam, præsentiam, & essentiam, at non in spatijs imaginarijs. Æternitas, quæ interminabilis vitæ est tota simul, & perfecta possessio, soli Deo competit.*

## SMARAGDUS.

**D**ivina providentia ad omnes creaturas in particulari extenditur; consistit autem non in actu voluntatis, sed in exercitio intellectus practici, nimirum in imperio, mediocrum electionem supponente. Præter generalem

datur alia specialis Providentia, qua efficaciter ordinantur aliqui ad æternam beatitudinem, quæ Prædestinatio dicitur, & est pars obiectiva providentiæ. *Electio efficax prædestinatorum ad gloriam, seu intentio efficax dandi gloriam electis, antecedit omnino prævisionem meritorum.* Glorificatio, iustificatio, & vocatio efficax sunt prædestinationis effectus, imò & gratia per peccatum interrupta. Vocatio inefficax, & substãtia prædestinati à prædestinatione imperantur; permissio verò peccati in electis est effectus prædestinationis ex præintenta pœnitentia.

### CHRYSTALLUS.

**S**acræ Triados mysterium ita absconditum, & arcanum est, ut nullus intellectus creatus naturali lumine scrutari valeat, in eoque consistere credimus, quòd vna essentia realiter indistincta in tribus subsistat Personis reali distinctione discretis. Verbi processio in actu intellectus, & Spiritus Sancti in actu voluntatis, ut modificantur relationibus, consistit, quarum primam generationem esse affirmamus, quia est per intellectum, qui assimilativus est. Verbum Divinum ex cognitione omnis prædicati Deifici, & ex creaturarum attingentia procedit. Divinæ relationes distinguuntur ab essentia distinctione rationis ratiocinatæ, insuperque illi superadunt tres perfectiones relativas, quàmvis essentia sit de earum conceptu quidditativo.


LAPIS ONYCHINUS.

21.

EXISTENTIAM Angelorum, præterquamquòd Divina revelatio docet, naturalis-ratio ex universi pulchritudine demonstrat, ut mirabili varietate nedum sint materiales naturæ, & spirituales in materia receptæ, sed etiam omnino spirituales, & incorruptibiles. Sunt in loco proximè per operationem virtualiter transeuntem, qua licèt non possint naturaliter esse simul in pluribus adæquatis locis, valeant tamen de potentia Dei absoluta. Eorum cognitio non est sua substantia, nec ad huius cognitionem eget specie impressa, aut expressa; sed ad alia cognoscenda vitur speciebus, à rebus non desumptis, sed con- genitis, quæ tamen non sunt propriæ passionis.

*His aderit propugnandis. Fr. PETRVS VALERA Salmanticensis Collegij Verae Crucis sacre Col- legæ sub præsidio P. Præs. Fr. ERAN- CISCI XIMENEZ huius Provin- ciæ Diffinitoris.*

Integer haud solis Synodi definit in actis,  
Diffinire potest, & solidare theses.



GEONI

GEONI DITISSIMO,  
 QVI AQVARVM COPIAM,  
 UTILITATEM, BENEFICIENTIAM,  
 NON DENEGAVIT  
 ÆTHIOPIS, ÆGYPTIJS,  
 MADIANITIS, DVM ALIJS SITIM  
 EXTINXIT, ALIJS ESCAS  
 IMPERTITVS EST.

NILO,  
 INTER FLVMINA MAXIMO,  
 QVI ARIDA ÆGYPTI ARVA, PROPRIJS  
 ALVEIS EXVNDANS, ITA RIGAT,  
 VT QVÆ CÆLI PLVVIJS NON OBVIA,  
 ARIDITATE RIGERENT, NEDVM  
 AD MESSEM VALEANT, IMO  
 NVLLI DE FERTILITATE  
 CONCEDANT.

SANCTISSIMO P. N.

D. PETRO  
 NOLASCO,

CVIVS CHARITAS OMNIBVS  
 CONCESSA, HISPANIS, GALLIS, ET  
 ARABIBVS IPSIS PROEVIT DOCTRINA,  
 EXEMPLO, PRÆDICATIONE.  
 CVIVS MISERICORDIA, SINIBVS EFFVSA,  
 AFRICAM NON SEMEL PENETRAVIT,  
 VT QVI INTER BARBAROS FIDEI  
 HOSTES CAPTI DEAGENTES,  
 CELESTIBVS ECCLESIE IMERIEVS NON PATEBANT,  
 IAM



23.

IAM TVNC ANIMI STERILITATEM  
EXPELLERENT,  
ET MORVVM OPIMAS SEGETES, LIBERTATEM  
CONSECVTI, PARTVRIRENT.  
CUIVS ZELVS.

MYSTICAM RELIGIONIS OLIVAM  
CONSEVIT, IRRIGAVIT, DIREXIT:  
VT OLEVVM CHARITATIS  
NON SOLEVM, DVM VIVERET,  
CAPTIVOS DELINIRET,  
SED ET MORTVI NON  
DEESSET.

HVIC BOETICA SVI PROVINCIA  
THEOLOGICA ASSERTA, ex 1. 2. part.  
D. THOMÆ SELECTA D. O. S.  
SVPPLICITER APPENDENS  
HOC NILI APPLAVDENTIS  
ACROSTICHON.

**N**ascitur, & latas Nilas dispersus in oras,  
**I**rrigat, exauget, recreat, rus, gramina, prata,  
**L**argifluis undis: sic Religionis olivam  
**S**erè novo plantans, Lymphisque rigantibus, augens,  
**S**olatur captos: Nili est Nolascus adinstar.

GEON.

# GEON

## AD PRIMAM SECUNDÆ

### D. THOMÆ EXPRESSVS.

Insequitur Nilum partis pars prima secunda  
Angelici Thomæ: quomodo? abinde vide.



Occupatissimus Geon, qui  
notiori vocabulo Nilus  
vocatur, effluit, creseit,  
& vt loquitur Moyfes,  
*circuit omnem terram*  
*Æthiopia.* De Lacubus

fluit, fluminibus innumeris in se recep-  
tis excrecit, & dum in mare præcep-  
ter agit, Æthiopiæ populos sibi occur-  
rentes circumcingit: at in hoc fluxu, cir-  
cuitu, & incremento, triplex huius par-  
tis Theologicus tractatus exprimitur.  
Flumen liquidem *designat actiones fluxas,*  
*& velut inter manus labentes:* (37.) Quo-  
circa de actibus humanis disputabimus.  
Sub Æthiopiæ circuitu certamen erit de  
peccatis, vitiosa nigredine Æthiopiam  
referentibus, quæ *potest nigredine pecca-*  
*torum obscuratos significare.* (38.) Incre-  
mento habemus opportunè concentratio-  
nem de gratis, & merito: cum enim  
Geon *vallis gratia dicatur,* (39.) ipsum  
augeri perinde est, ac gratiam augmen-  
tum suscepisse, quod sine merito nul-  
quàm contingit.

(37.)  
Lzur. v.  
Flumen.

(38.)  
Id. v.  
Æthiopia.

(39.)  
Id. v.  
Geon.

FLU.

## FLVXVS.

**A**ctus humanus, comitem habens libertatem, quæ profectò non alia est, nisi indifferentia, plures patitur circumstantias, quæ sunt ipsius accidentia. Moralitatem non habet à libertate, aut extrinseca denominatione, sed à relatione reali transcendentali ad regulam. Eius libertas, etiam ad meritum requisita, requirit posse ad vtrumlibet extremum sive contrarietatis, sive contradictionis. Indifferentia iudicij est illius radix. An in Beatis libertas arbitrij in bono consummati reperitur, est non modica difficultas orta ex conciliatione libertatis cum immutabilitate visionis Beatæ: Nos verò defendimus, *visionem Beatificam habere rationem iudicij indifferentis requisitæ ad liberè bene operandum*: Vnde ex conceptu huiusmodi regulationis factæ per visionem non repugnat in Beatis libertas. Idem numerò actus nequit esse bonus ex obiecto, & malus ex fine. Actus humanus non est in individuo indifferens ad bonum, & malum.

## ÆTIOPIA.

**P**eccatum secatur in illud, quod omissionis est, & illud, quod commissionis. Opus impossibile cum præcepti adimplerione non inficitur malitia omissionis, si voluntatem supponat firmiter proponentem omittere, nisi eligatur vt medium ad illam, aut decreti mutationem impossibilem reddat. Potest diuinitùs dari pura ommissio peccaminosa absque omni actu, qui sit causa, vel occasio illius. Pura ommissio repugnat absque omni obli-

gatione ad actum positivum eliciendum. In omni peccato commissionis reperitur malitia privativa. Peccatum commissionis in ratione mali simpliciter constituitur per malitiam privativam. Peccata differunt specie ex diversitate specifica suorum obiectorum. Peccatum, ex obiecto, & specie levius, potest simpliciter, & absolute excedere peccatum specificè gravius. Eo gravius est, quo directè opponitur præstantiori virtuti.

### INCREMENTVM.

**H**omo iustus de condigno meretur apud Deum vitam æternam, sed aliquibus conditionibus opus eiusmodi comitantibus: perfecta scilicet libertate, gratiæ dignificatione, & stata viæ de lege ordinaria, non absoluta. Retributio præmij pro meritis non est in Deo actus gratitudinis, aut fidelitatis, sed iustitiæ, non commutativæ strictè, sed distributivæ ad instar commutativæ. Ut opera virtutum de condigno mereantur gloriam, exigunt imperium saltem virtuale charitatis, & tunc adhuc perseverantiæ donum non merebuntur, sicut nemo meretur primam gratiam, aut reparationem post lapsum.

*Pro his tuendis aderit Fr. DIDACVS DE LA GRAN-*

*Da. D. Laureani M. Collegij Alumnus sub auxilij Pat. Lect. Sub F. IOANNIS DE CASAS,*

*Giennensis Commendatoris.*

Es domus, Hispanè lecto cognomine: quare?

Nam sophiæ propria es, quam colit, ampla domus.

CE.

CELERRIMO TIGRI,  
 QUI MISERICORDIÆ FLUCTIBVS  
 PERNICIOREM SAGITTAM  
 ANTEIUIT;  
 QUI MAURICAM ASSYRIAM  
 REDEMPTIONVM FREQUENTIA  
 CIRCVMDEDIT;  
 QUIQUE DIFFICILIORA MONTIVM  
 REPAGVLA FORTISSIMO  
 FLXV PERFORAVIT.  
 SANCTISSIMO PATRI

D. RAYMVNDO  
 NONNATO,

MERCEDARIJ FIRMAMENTI  
 PVLCHERRIMO SIDERI,  
 CVIVS ORTVS NON NATIVITAS,  
 CVIA VITA MORS, CVIVS MORS  
 VITA FVIT:

NON ENIM NATVS, SED E MORTVÆ  
 MATRIS EX SECTO VTERO EXTRACTVS;  
 NEC VIXIT, NISI CONTINVIS  
 LABORIBVS, ÆRVMNIS, LABIORVM  
 PERFORATIONE PRO CAPTIVORVM  
 LIBERTATE, ET FIDEI  
 PRÆDICATIONE ATTRITVS  
 MORIENS;

SED NEQVE OCCVBVIT, NISI IN  
 OSCVLO DOMINI SE ILLI PER SE  
 VIATICVM COMMVNICANTIS  
 VIVERE INCHOAVIT. HVIC

HVIC ERGO BOETICA PROVINCIA  
THEOLOGICAS THESES EX 2. 2. part.

D. THOMÆ D.O.S. PIRAMIDEM ERIGENS  
OCTO CARMINVM GENERE

ACHROSTICÈ EXORNATAM.

**B**arbarus ardo **R**  
**B**æthera pene sacr**A**  
**B**angentem, cupijt dar**I**  
**B**aspideam validis columna **M**  
**B**um nimis læto celebrare sen**V**  
**B**geret tuac animo, per sacula nome**N**  
**B**erpetuumque suum semper concedere. Er illu**D**  
**B**eddere qui, gladio ventrem referante Maris apr**O**  
**B**maibus exinium potuisti postea lunc **N**  
**B**eementerque sacri verbi dare Maur**O**  
**B**pse doctrinas, inopi levaine **N**  
**B**on similis far habebis ome **N**  
**B**ondignè decoris? tu **A**  
**B**ure columna veni **H**  
**B**ccipe, quæ **O**

# TIGRIS

AD SECVNDAM SECVNDÆ D. THOMÆ  
PARTEM ENVCLEATVS.

Quæ Thomæ defert asserta secunda secundæ  
Pars, hæc ipsa potis est effigiare Tigris.



Designaturus partem hanc  
summae Doctoris Ange-  
lici accedit Tigris. Nec  
difficiliter id præstabit,  
credas, si aqua trutina  
ponderetur Regio illa, in  
quam sua dirigit fluenta, Tauri montis  
mira perforatio, & aquarum velocissi-  
mus cursus.

In longinquam Assyriæ Regionem pro-  
pendit, vel vt textus loquitur: *Ipsè vadit  
contra Assyrios*, qui cum in sententia alle-  
gorica Laureti Hæreticos figurent, *Assy-  
rij, contra quas vadit fluvius Tigris, desig-  
nant Hæreticos*, (40.) Tigris ira ex ad-  
verso eorum se opponens, Fidem signi-  
ficet, necesse est, quæ Hæresi opponitur,  
& illius fallacijs adversatur.

(40.)  
Verb. As-  
syrij.

Montis perforatio mira, quam de Ti-  
gri flumine Plinius asseverat, *occurrente  
Taurò monte à latere altero eius erumpit*,  
(41.) refert. opportune spem nostram, qua  
ad Deum tendimus, cum nondum habea-  
mus. Quid enim agat hominum spes, nisi

(41.)  
Plin. lib. 6.  
cap. 21.

mun-

mundana omnia, seculariaque, montium more animam à suorum desideriorum centro obtinendo retardantia, validis fiducia fluctibus exscindere, assiduisque gemitibus perforare? Augustinum audi, *Homo caligans inter procellas huius seculi sentit se non videre, quod cupit, & tamen sperare non desinit.* (42.)

(42.)  
D. August.  
in Psal. 5.

At felici exitu; ut nempe tenebroso submersionis obice rupto, in lucem prodeat, ut Iobus fidebat: *Rursum post tenebras spero lucem.* (43.)

(43.)  
Iob. 17. v.  
2.

Tigris adeo velox est nedum vocabulo, sed & cursu, ut Curtius fateatur omnibus velociorem, *nec sanè alius ad Orientis plagas tam violentus invehitur.* (44.)

(44.)  
Lib. 4. de  
reb. Alex.

Hac violentia velocitatem depingit, qua Charitas in Deum summè dilectum festinat. Appositum flumini, in quo Charitatè intelligere voluit, hoc lemma Picinellus retulit: *Incremento velocior:* (45.)

(45.)  
Mund.  
symp. lib.  
2. cap. 24.

cùm enim flumina, quò magis aquis abundant, eò velociùs fluant, Charitatis etiam amnis in Dei amorem fortiùs rapitur, quò magis gratiæ lymphis augetur. Sed Charitati parum est currere, cùm petat volare. Augustinum Pat. Nostr. consule:

*Qui desiderant patriam, currant dilectione. duas alas Charitatis apprehendant, quæ sunt dilectio Dei, & dilectio proximi.* (46.)

(46.)  
In Psalm.  
149.

Vide iam Fidem, Spem, Charitatemque in Tigri signatas, de quibus disputationes subijcio.

ITER-



**O**biectum materiale Fidei est Deus, motivum formale illius Divina revelatio, veracitate, & sapientia præsuppositivè se habentibus. Deus nequit per se, vel per alium mentiri, aut miraculum facere in rei falsæ confirmationem. *Summus Pontifex est infallibilis in definiendis rebus Fidei, & morum, quò ad salutem necessarij sunt.* Est supra omne Concilium, etiam generale, sive sua auctoritate, sive absque illa congregatum. Si in hæresim incidat, ipso facto à Pontificatu decedit, & ad externi fori notitiam accedere debet auctoritas Ecclesiæ. Est immediatè de Fide, SS. P. BENEDICTVM XIII. feliciter regnantem, esse verum Papam.

## MONTIS PERFORATIO.

**S**PES non communiter sumpta, sed considerata ut est virtus Theologica, sub præceptum cadit. Virtus supernaturalis est, qua speramus æternam Beatitudinem assequi gratiæ Divinæ auxilijs adiuti. Immediatè residet in voluntate. Obiectum formale illius, & specificativum est Deus, ut auxilians actualiter ad assequenda promissa. Obiectum secundarium est bonum arduum possibile futurum, ipsa nempe gloriæ affectio. Facta alicui revelatione de sua damnatione, sperare non tenetur, sed nec ideò desperare possit.

## VELOCITAS CURSUS.

**C**haritas est virtus vnius speciei arthomæ, & hominis cum Deo vera, & stricta amicitia. Pro obiecto formali respicit bonitatem Divinæ essentiæ, vt ab attributis, & relationibus virtualiter distinctam. Etiam physicè est perfectior Fide, & alijs habitibus supernaturalibus, exceptis lumine gloriæ, & gratia sanctificante. In primo instanti vsus rationis tenetur homo Deum efficaciter super omnia diligere. Repugnat peccatum mortiferum Charitati coniunctum. Deus vnitur mentibus Beatorum per modum impulsus ad amorem Beatificum, à Charitate perfecta in Patria elicatum.

*Propugnaturus in palastram descendet Pat. Frat.*

IOANNES PACHECO D. Laureano M. Sacri Collegij

Collega, sub tutamine P. Lect. Jub. Fr. IOSEPHI

DE ESPINOSA, prædicti Collegij Rectoris,

*cuius ingenioso acumini, incunda-*

*que loquella congruit*


ANAGRAMMA PVRRVM.

ESPINOSA aderit validis responsa daturus

Hostibus ingenij dexteritate sui.

EN APIS OS factum distoque, modo que putabis,

Grataque mulcedo mentis, & auris erit,



COPIOSISSIMO EVPHRATI,  
 VBEREM PROMISSIONIS TERRAM ALLVENTI,  
 CVIVS DITISSIMVS FLVXVS NON  
 VNO CONTENTVS ALVEO, VT PLVRIBVS  
 PROSIT REGIONIBVS,

MESOPOTAMÆ, SYRIÆ, ARABIÆ, BABILONIÆ,  
 IN PLVRES ALVEOS DISPESCITVR,  
 ET PROPRIJS SE VENIS MINVIT,  
 VT ALIJS DISPERTIAT SANITATEM.

SANCTISSIMO PATRI

**D. P E T R O**

PASCHASIO MARTYRI,

GRANATENSI TITVLARI EPISCOPO,  
 DEINDE PROPRIO GIENNENSI,  
 MERCEDARIJ VIRETI  
 PVLCHERRIMO FLORI,

QVI IMMACVLATAM PROMISSIONIS  
 TERRAM, B. V. MARIAM, SVÆ SAPIENTIÆ  
 FLVMINE ALLVIT, DVM ILLIVS CONCEPTIO-  
 NEM ABSQVE ORIGINEA LABE  
 EXECVTAM ASSERVIT;

QVIQVE IN CAPTIVIS, PVERIS PRÆ-  
 SERTIM, REDIMENDIS, MAVRICISQVE  
 superstitionibus Alcorani, verbo, & scriptis  
 profligandis, longam, etsi bene omina-  
 tam, vitæ, ætatem, imò & sanguinem,  
 & vitam insumpserit.

E

CVI

## CVI WANDALICA,

SVIS LABORIBVS AVCTA, PROVINCIA


THEOLOGICAS THESES EX 3. part.

D. THOMÆ DESVMPTAS D. O. S.

HOC APPENDENS

EPIGRAMMA.

Subditur indomitis dum pulchra Valētia Mauris,  
 E captis Patribus nascere captus ibi.  
 Functurus vadis Granatam munere vadis,  
 Pro pueris *venis*, dum pietate venis.  
 Turba Arabum, sacras dum sacra operaris ad aras,  
 Fastidita Fidem, rescidit ense caput.  
 Ante tamen novies exsolvis mille fideles,  
 Quos pretio vita, sanguinis, aris emis.  
 Ores in vinclis, vivis, mœterisque ligatus:  
 Nemo plus captus, plus ve Redemptor adest.



# EUPHRATES

AD 3. D. THOMÆ PARTE M  
THEOSOPHICE EXPLANATVS.

Quæ Divi Thomæ Iustrat pars tertia summæ,  
Hæc etiam Euphratis læta fluentia dab unt.

**A**D tertiam partem summæ Angeli-  
cæ expensus Euphrates illico of-  
tendit Christum Dominum, qui  
*adimplet quasi Euphrates sensum,* (47.) illo (47.)  
scilicet primo Incarnationis Mysterio, *Eccli. 24.*  
iuxta Cornelium, *in Verbo incarnato, pu- v. 36.*  
*ta Christo, qui est sapientia Patris incar-*  
*nata.* (48.) At cum Euphrates nominis (48.)  
ethimologiam à lætitia hauriat, *Euphra-* *Corn. ibi.*  
*tem dicunt à latando,* (49.) in mentem (49.)  
revocavit illud Isaia: *Haurietis aquas in* *Fern. 2. in*  
*gaudio de fontibus Salvatoris,* (50.) op- *Gen. sec. 5.*  
portunum quidem ad exponendas Sa- (50.)  
cramentorum aquas, quæ de perforato *Isai. 12. v.*  
Salvatoris latere, tanquam de fonte ma- 3.  
narunt. Si verò Regionem, quam Eu-  
phrates interluit, attendamus, quæ pro-  
missionis terra est iuxta Lauretum, *Eu-*  
*phrates ponitur terminus terræ promissio-*  
*nis,* (51.) **B.V. MARIAM** venerabimur, (51.)  
quæ est *terra promissionis, quæ protulit* *Verb. Eu-*  
*batrum Christum,* (52.) vnde sub Euphra- *phrates.*  
tis copia, origine, & itinere differemus (52.)  
de Verbi incarnatione, Sacramentis, & Terra. *Idem. v.*  
Deigenitricis dignitate.

## COPIA.

**I**ncarnatio Verbi Divini simpliciter necessaria fuit ad condignè satisfaciendum pro peccato læthali. Christus est Persona verè composita ex natura Divina, & humana, quæ est terminus *qui*, sive totalis actionis unitivæ humanitatis cum Persona Verbi. Antiqui Sæcti Patriarchæ non meruerunt de condigno incarnationem, sed tantum de congruo. Tres Divinæ Personæ potuerunt sibi hypostaticè unire eandem naturam creatam, sicut eadè Persona diversas naturas. Verbum potuit assumere naturam Angelicam, imò & irrationalem de absoluta potentia. Assumpsit etiam omnes partes essentielles, & integrales naturæ humanæ.

## ORIGO.

**S**acramentum est in genere signi ex Divino placito, & significat gratiam sanctificantem. Constat ex rebus, & verbis, tanquam ex materia, & forma. Gratiam physicè causat. Character Sacramentalis non est habitus, sed reducitur ad potentiam. Ad valorem Sacramenti requiritur in Ministro intentio saltem implicita, & generalis faciendi, quod facit Ecclesia. Materia remota Baptismi est aqua, & ablutio proxima; forma verò hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Etiam si aliquis speciali privilegio esset sanctificatus in utero Matris, capax esset Baptismi, & baptizari deberet. *Extra mortis periculum valide, non tamen licite, baptizantur Infantes, Ethnicorum filij, invitis parentibus.*

ITER.

## ITER.

**S**Acra Deipara nec in Adamo peccavit, nec habuit necessitatem contrahendi originale peccatum. Talis extat oppositio inter S. V. dignitatem maternam, & peccatum mortale, vt nulla potentia possint simul esse, imò nec illa cum veniali potest compati. Dignitas Matris Dei est forma sanctificans perfectiori modo, quàm gratia habitualis, qua non astante, existentibus tamen Charitate, & alijs donis supernaturalibus posset Bina. V. gloriam promereri, & gratiam habitualement, illi antea non infusam, vi dignitatis huiusmodi, absque miraculo novo, præter illud creationis sine gratia. Verè Martyr esset ille, qui vitam profunderet, vt assereret, Ecclesiam piè celebrare festum Immaculatæ Conceptionis.

*Defensabuntur à Fr. RAYMUNDO DE HERRERA,  
D. Laureano M. sacri Collegij Collega, sub auxilijs  
P. Lect. Iubil. Fr. ANTONIÏ LEAL Malacitani Cœnobij Studijs Præfecti.*

Asseret interpres Thomæ fidissimus istas,  
Non solo fidus nomine namque, theses.



## EPILOGVS,

SIVE PRÆIACTORVM FLVMINVM  
IN MARIANVM MARE  
DEMERSIO.

HActenus in varias peragratunt flumina terras,  
Diverso fecit tramite quisque viam.  
Auriferam primus Phison ambivit Hevilath,  
Plurima vbi exundat gemma, smaragdus, onyx.  
Sive Redemptricis Divinæ Virginis agrum,  
Quæ vt nos erigeret, venit ab axe poli.  
Alluit Æthiopes fecundus Nilus adustos,  
Atque Ægyptiacos vberat altus agros.  
Petrus nempe, suos qui dum laetavit Alumnos,  
Vberibus Mundo semina adauxit aquis.  
Tigris in Assyrios spatiatur flumine campos,  
Cuius aqua excelsi culminis antra fodit.  
Hic Nonnatus. et at, qui, quamvis ferrea sera  
Labia conclusit, verba profudit ovans.  
Ultimus Euphrates promissæ gramina terræ  
Spargit, & vndoso dividit arva sinu.  
Hic te, Paschasi, retulit, qui laude MARIAM  
Lustrat, & à dūto liberat ære pedes.  
Sed mare iam pergunt immensū flumina, postquam  
Agmentum lymphis obtinere suis.  
In te, Virgo Parens, gradiuntur flumina: namque  
Gratia cuncta in quod confluit, ipsa mate es.  
Ingreditur Phison in te, quia pignora Christi  
Dum portas, aurum non tibi ventre deest.

In.



Inttat item Nilus, nostri nam pulchra vireti  
 Semina dum plantas, vberiora facis.  
 Pergis in Asyrios, Tigris, dum cingis in hostes,  
 Adversa infernis, agmina nostra truces.  
 Euphrates tanquam, promissas perluis oras,  
 Quæ promissisti, sidera & alta dabis.  
 Denique, Verbi parens, omnes nos accipe in vlnis,  
 Parvus & in laudem sit labor iste tuam.

O. S. C.  
 S. R. M. E.

